



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 12.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

tudo loquedi, vt ex Augustino doceo in c. 1. ad Rom. Perspicuum igitur est: Veneratione sanctorum atque angelorum à nobis non peccari; quia nec adoratio- nem Deo debitam, nec seruitutem sanctis exhibemus. Nec est *sophisticum commentum*, vt Caluinus obicit: quia scriptura docet à sanctis & Deum, & homines adoratos, magna sine dubio differentia adorationis. Gen. 23. 7. & 27. 29. & 33. 3. & 49. 8. 2. Reg. 14. 4. & 16. 28. & 42. 21. & 3. Reg. 1. 16. a iter ergo scripturæ verba intelligenda sunt, cum dicat adoratum Deum, aliter, cum regem. Tam enim flagitium est, regum honorem tribuere Deo, quam Dei, egibus.

Obicit tamen Caluinus. *Argui finis illa verborum diffinitione reiecta Christus Θεοκύριον etiam vni Deo vendicat.* quo commonetur, rei potius quam vocis rationem esse habendam quod agitur de cultu Dei. Scripturam Deum vnum colere iubet.

Verissimum est sane vnum Deum colendum, sed cultu religioso, seu cultu Dei; parentes, & magistratus & amicos Dei sanctos alio cultu afficiunt.

M hi vero ipso dæmone obstrictior Caluinus apparet, ille cessit, Caluinus constanter obnititur contra veritatem. Christus Θεοκύριον vni Deo vindicat, non omnem, sed eam, qua personæ adoratæ summum, independentemque dominium agnoscimus. Talem sibi arrogabat diabolus, vel ipso Caluino teste. Nam etsi omnia nostra præsidia, opes, commoda in Dei benedictione constitimus: titillant tamen nos subinde & pellicunt sensus nostri ad querenda Satanae subsidia, ac si vnus Deus non sufficeret. Bona autem mundi pars Deo ius & imperium terræ abducens, recigit.

Satanam sibi fingit bonorum omnium datorem. Vnde enim sit vt malis artibus, & rapinis & fraudibus fere omnes se adducant, nisi quod in Satanam transcribunt quod Dei proprium erat, sua benedictione ditare quos visum est? Ore quidem panem quotidianum dari sibi à Deo postulant, sed ore tenus: quia Satanam præsumunt distribuendo totius mundi diuitias.

Satan igitur tanquam Deus Θεοκύριον adorationem postulat, non vt seruus, non minorem latrā, sed æqualem Deo, si Caluino credimus. At vero Θεοκύριον nō soli Deo tribui, sicut nec Hebræum ΠΑΥΛΟΝ atque in ea re grauissime Caluinum labi, mihi facile est docere, Gen. 19. 1. Lot Θεοκύριον pronus in terram. Gen. 23. 7. Θεοκύριον τῷ λαῷ & 37. 6. & 3. Reg. 1. 16. & 2. Reg. 1. 2. & 14. 4. & 18. 21. & ibidem 28. & 24. 20. 1. Par. 21. 21. 2. Par. 24. 17. Illa vero Θεοκύριον veritas non fuit, quia omnino alia fuit, ab hac, quam Luc. fer à Domino ex- git. Hæc de vero sensu huius scripturæ Augustini sententiā definienda relinquo. Is q. 61. in Gen. Exurgens autem Abraham adorauit populum terræ. Quæritur quomodo scriptum sit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias: cum Abraham sic honorauerit populum quendam gentium, vt etiam adoraret. Sed animaduertendum est in eodem præcepto, non dictum Dominum Deum tuum solum adorabis: sicut dictum est, Et illi soli seruias: quod est Græce δουλεύεις. Talis enim seruitus non nisi Deo debetur. Vnde damnantur idololatra: id est, eiusmodi seruitutem exhibentes idoli, quæ debetur Deo.

Videatur idem de vera religione, c. vltimo.

§. 2. Duo Piscator his in verbis mouet; primum contra Pontificem, quem ait esse filium diaboli, quia adoratur, alterum contra adorationem carnis Christi, hoc ad Lutheranos præcipue pertinet.

Ad pontificem quod attinet: Eius adoratio non ad Deum potest referri, adoratur enim vt seruus Dei, vt Episcopus, vt Vicarius Christi: alioqui & Dauid, alique filii diaboli essent, quia adorabantur. Contra Lutheranos sic argumentatur. [Quam solus Deus adorandus sit: factum igitur docent, qui tradunt, adorandam esse carnem Christi: quippe quum certum sit, eam non esse Deum, licet sit caro Dei, nempe filii Dei, personaliter vnita. At perso-

Adami Conzen in Euang. Tom. I.

nalis vnio diuinæ & humanæ naturæ in Christo, non tollit, aut confundit earum proprietates, sed saluas relinquit. Est autem adorabilitas non minus proprietas deitatis, quam omnia scientia, omnipotentia, omnipresens, æternitas. Adorandus est igitur Deus manifestatus in carne: sed caro eius adoranda nō est. Sicut civiliter adoratur rex in capite gerens coronam vel diadema, nec sceptrum adoratur. Et pium demum Christum adorasse leguntur, quum cognouerunt eius deitatem: vt testantur hæc exempla: Cæcinati Ioh. 9. v. 35. 36. 37. 38. Petri, Luc. 9. v. 8. Illorum qui viderant lesum ambulantem super mare & illud tranquillantem, Matth. 14. v. 33. Sanctarum mulierum quæ ipsum quæsierant in sepulchro, Matth. 28. 9. Apostolorum congregatorum in monte, quum Christus eis valediceret, ibid. v. 17. Thomæ videntis eum post resurrectionem, Ioh. 20. v. 28.]

Hæc Piscator miscens vera falsis; Vbi quitarios tamen valide oppugnans, qui naturas imperite confundunt. De adoratione humanitatis dixi c. 2. cum de adoratione magorum tractarem. In eo enim erat Piscator, quod carnem vt coniunctam improprie adorati negat. Recte vero Vbi quitarios oppugnat, qui ad Christi maiestatem pertinere arbitrantur, carnem Christi deificatam, omnipotentem, æternam, reali attributorum diuinorum communicatione mutati adorare.

§. 3. S. Augustinus contra Maximin. Arian. l. 3. c. 13. Hoc ex loco Arianos reprehendit, qui cum dicerent patrem maiorem, filium minorem Deum, eum tamen adorarent. Cum vero non sit dictum, soli sapienti patri: sed soli sapienti Deo: & Deus vnus sit ipsa trinitas, multo est facilius nobis huius solutio questionis: Vt sic intelligamus solum Deum sapientem, sicut intelleximus solum potentem, id est patrem & filium & Spiritum sanctum, qui est vnus & solus Deus, cui soli seruire iussi sumus: ne male intelligentes, vel potius non intelligentes, contra hoc præceptum facere videamur, quia & Domino Christo ea qua Deo debetur seruitutē seruimus.

Cum enim Arianum filium interdum Deum dici catholicæ fide, ob sanctitatem, interdum creaturam dicerent, aliquando creaturam negarent, vt cætera sunt creaturæ, tamen adorationem illi tribuebant, & latrā, qualis vni & soli Deo conuenit. Itaque sibi ipsi repugnabant. Cur vero Christum adorandum esse concederent causa fuit, quod in scripturis, ita manifeste adoratur, vt negare non possent.

Eodem etiam c. 23. repetit, Signanter autem semper ea sola seruitute non debere seruire filio, quæ soli Deo debetur, si filius non est Deus.

VERSUS II.

Tunc reliquit eum diabolus: & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei.

QUESTIO I.

Quod ministerium angelorum?

§. 1. Vltori gratulantur, & plaudunt, ministrantes aspectabili forma, dapes adferunt, alia exhibent obsequia, non quod ille alieno ministerio egeret, sed quod obseruare Dominum illi debebant. cum enim omnia humana solatia decissent, Deus cælestes illi ex-rcitus misit, ex quo etiam constat, ante in ipso conflictu angelos abfuisse, vt solus ipse vinceret. Magno solatio hoc omnibus fidelibus est, quibus dicitur, resistite diabolo, & fugiet à vobis. Iacob. 4.

VERSUS 12.

Cum autem audisset Iesus quod Ioannes traditus esset, secessit in Galileam.

F 3

QVÆ-

QVÆSTIO I.

Quando, & cur secessit?

Ioannes nō
statim in
vincula cō-
iectus est.

S. 1. **N**on continuo post victoriam de tentatione reportatam Ioannes coniectus est in vincula. Nam alia intercessisse constat ex Ioan. 1. 2. 3. 4. Venit enim ad eum Iesus, deinde accepto testimonio colligit discipulos, Andreā, Petrum, Philippum, laudat Nathanaelem, interest nuptiis, ascendit Ierolymam, vendentes eiicit, simul cum Ioanne docet, & per discipulos baptizat. Ioan. 3. 22. Post hæc venit Iesus, & discipuli eius in Iudæam terram; & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Ioannes baptizans in Ænon iuxta Salim: nondum enim erat Ioannes missus in carcerem. Tum vero vel admiratione, vel emulatione discipuli Ioannis monuerunt, plures ad Iesu baptizari, omnes ad eum venire. Itaque tum demum Ioannes est coniectus in carcerem, cum Christo iam miraculis claro perfectum testimonium dedisset, neque est vlla Evangelistarum dissensio, vt accurate docet S. Augustinus lib. 2. de consens. Evangelistarum c. 17. & 44. & 45.

Odiū ini-
tio Christus
vitat.

S. 2. Causa cur Christus secesserit Dominus, apud Ioannem exprimitur 4. 1. Vt ergo cognovit Iesus, quia audierunt Pharisei, quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes, (quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam. Causa igitur secedendi, fama apud Phariseos vulgaris, ex ea enim odium, inde calumniæ, & apud Herodem accusationes. Nam Ioannem oderant; dicebant enim, demonium habet. Cum vero Herodes falsum scuitiæ suæ prætextum obtinisset; Ioannem idcirco caesum, quod seditionem moueret, coitione populi ad se facta, facile poterat id crimen in Christum etiam totqueri, vt ad quem maior concursus fieret, itaque Christus non timore, sed prudentia cessit inuidiæ, ne occasione sumpta cum cum Ioanne conspirasse in regis perniciem calumniarentur, præsertim cum Ioannes dixisset; oportere Christum crescere, se minui, Christum desursum esse, de celo venisse, quæ apud Ioan. c. 3. v. 28. & seq. leguntur. Seditionis vero prætextum sceleris fuisse adhibuit constat ex Iosepho lib. 18. ant. c. 7. postquam enim parauit Herodis exercitum ab Aræa interuentione fuisse deletum: subiungit apud Iudeos autem fuit opinio, iusta vltione numinis, deletum Herodis exercitum, propter Ioannem, qui Baptista cognominatus est. Hunc enim ceptum archa necavit virum optimum, Iudeos excitantem ad virtutum studia, & in primis pietatis ac iustitiæ, simulque ad baptisimi lauarum: quod ita demum Deo gratum aiebat fore, si non ab vno tantum alterius peccato abstineant, sed animi per iustitiam prius mundatis addant & puritatem corporis. Quumq; magni concursus fierent plebe talis doctrina audita, Herodes veritus, ne tanta hominis autoritas defectionem aliquam pareret, quod viderentur nihil non facturi ex eius consilio, iudicauit satius esse, prius, quam noui aliquid exoriretur, illum tollere, quam rebus turbatis, seram penitentiam agere. itaque vincitum

Herodis pæ-
missum in
Macheruntim
supra dictam;
illic occidi
imperat,
nā ob Ioan-
nem quod factum
sequuta est
Iudeorum
existimatio,
ab irato Deo
perditum esse
Herodis exercitum.

Falsum autem fuisse prætextum, hoc facile ostendit, quod Christum maiora facientem, & multo plures trahentem contempsit, nec inuidiasus est, nec cum in potestate haberet, quicquam aduersi intulit, præter iriionem. Vltatim itaque olim erat artificum pios Deitidelesque ministros, quorum vita, doctrinaque improbis motibus aduersabatur, cum aliter refutare non posset, tumultum & maiestati accusare. Quod vnicuique telum est violentissimum contra innocentiam, & nonacula acuta, astu, & dolo sapiens, qua hodie in Catholicos, maxime Societatem Iesu, faciunt.

VERSVS 14. 15.

*Vt impleteretur, quod dictum est per
Isaiam prophetam. Terra Zabu-
lon & terra Nephthali via maris
trans Iordanem, Galilæa gentium,
populus, qui sedebat in tenebris, vi-
dit lucem magnam, & sedentibus
in regione umbrae mortis lux orta
est eis.*

QVÆSTIO I.

An recte citatus Isaias?

S. 1. **M**agno impetu in nostrum veterem interpretem nouatores, & in Euangelistam infideles irruunt. Isaiæ 9. 1. ita est in vetere interprete. Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthali, & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem, Galilæa gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis. Verba ita apud 70. inueniuntur exprella, τὸ πρῶτον τὰς ἀπὸ πύλιν, τὰς ἀπὸ τῆς Ζαβουλὸν, ἡ γὰρ ἐστὶν ὁ δρόμος, καὶ οἱ λαοὶ τὴν ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, καὶ τῆς Ἰορδάνης, καὶ τῆς ἀπὸ τῆς ἐδνῶν, ὁ λαὸς ὁ κατὰ τὴν ἐν σκότητι, εἶδε φῶς μέγα, οἱ κατεκλιν-
τες ἐν τῇ σκότητι, καὶ τῇ ἐν τῇ σκότητι, φῶς λαμπρὸν ἐφ' ἑαυτοὺς.

Hoc primum velociter bibe, velociter fac, regio Zabulon, terra Nephthali, & reliqui maritimam (habitantibus,) & trans Iordanem Galilæa gentium.

Chaldaus Interpretes omnino aliter, dum explicare rem studuit, inuoluit. Primo tempore transmigraverunt, cum terra Zabulon, & cum terra Nephthali; & qui remanserunt ex eis, rex fortis eos abducat in captiuitatem, eo quod non sint recordati potentia quæ facta est in mari rubro, & miraculorum quæ facta sunt in Iordane, & belli ciuitatum populorum. Populus domus Israel, qui ambulabat in Ægypto sicut in tenebris, egressi sunt vt viderent lumen magnum: Habitantibus in terra umbrae mortis, lux orta est eis.

S. 2. A nostro Interprete hodierna Hebræa differunt, quod v. rba cepit præcedentis, Et non poterit auolare de angustia sua, cum hoc capite connectant, quod tamen mouere nos minime debet. Latinus enim, Græcus, Chaldaus aliter distinxerunt, & olim notæ distinctionum nullæ erant. Vatablus ita vertit. Tempore primo, ab eo qui alleuiare fecit terram Zabulon, & nulla scilicet ultimo ab eo qui aggrauari fecit viam maris, trans Iordanem, suum est Galilæa gentium. Est quidem ὁ δρόμος alleuiavit, & ὁ δρόμος aggrauari fecit, non tamen difficultate mutatione punctorum, vel commoditate versionis, cum sensus idem sit, dicere noster potuit, aggrauata est, pro eo quod in hebræo est, aggrauare fecit, cum ille loquendi modus non sit in lingua latina, in qua hiphal non habemus.

S. 3. Cæteræ parui momenti sunt differentię. In propheta est ambulare in tenebris, apud Euangelistam sedere, eadem re commotionem Hebræi significant, & hoc quidem loco magnam calamitatem, in qua versabantur.

Via maris trans Iordanem, est via qua ex mari mediterraneo proficiscuntur ad mare Tiberiadis, quod nomine maris hic est intelligendū. Trans Iordanem Syrus vertit, Transitus Iordanis. Hebræum נַחֲלִי, quem ad modum Græcum πηγάς, quod hoc loco vsurpatur, & vltima significat, & in vtriusq; littoris regione Christus docuit, sed præcipue in ea parte, in qua Galilæa fuit. Loquitur tamen